

Nova literaria

Autor(en): **[s.n.]**

Objekttyp: **BookReview**

Zeitschrift: **Museum Helveticum ad juvandas literas in publicos usus apertum**

Band (Jahr): - **(1748)**

Heft 9

PDF erstellt am: **15.08.2024**

Nutzungsbedingungen

Die ETH-Bibliothek ist Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Inhalten der Zeitschriften. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern. Die auf der Plattform e-periodica veröffentlichten Dokumente stehen für nicht-kommerzielle Zwecke in Lehre und Forschung sowie für die private Nutzung frei zur Verfügung. Einzelne Dateien oder Ausdrucke aus diesem Angebot können zusammen mit diesen Nutzungsbedingungen und den korrekten Herkunftsbezeichnungen weitergegeben werden. Das Veröffentlichen von Bildern in Print- und Online-Publikationen ist nur mit vorheriger Genehmigung der Rechteinhaber erlaubt. Die systematische Speicherung von Teilen des elektronischen Angebots auf anderen Servern bedarf ebenfalls des schriftlichen Einverständnisses der Rechteinhaber.

Haftungsausschluss

Alle Angaben erfolgen ohne Gewähr für Vollständigkeit oder Richtigkeit. Es wird keine Haftung übernommen für Schäden durch die Verwendung von Informationen aus diesem Online-Angebot oder durch das Fehlen von Informationen. Dies gilt auch für Inhalte Dritter, die über dieses Angebot zugänglich sind.

NOVA LITERARIA.

TURICUM. Prostat hic apud nobil. Autorem *DAVID HERRLIBERGER* Operis elegantissimi, quod *PICARTI* imitatione omnes omnium gentium sacros ritus nitidissimis tabulis æri incisis repræsentat, Tomus II, qui eas gentes complectitur, quæ Circumcisionis signaculo se a ceteris hominibus distinguunt. Absolvitur autem præcipue duabus Sectionibus, quarum prior *Judæorum*, altera vero *Muhamedanorum* sacras ceremonias refert; hæc vero posterior Sectio in IV minores particulas distincta est. Exhibet iste Tomus in universum Tabulas æneas XXXVI. Commentationem vero de Judæorum sacris ritibus quondam conscripsit b. m. J. BAPTISTA OTTIUS, *Archid. & Colleg. Carol. Canonicus*: Altera vero commentatio de Mahomedanorum Doctrina ac ceremoniis optimorum Autorum fide accuratius est concinnata.

2. Idem quoque nob. Herrlibergerus dedit foliis VIII brevem explicationem totius Operis, singularumque in tribus ejus Tomis occurrentium effigierum, quæ ad numerum DXL assurgunt, in gratiam eorum, qui uberioribus commentariis historicis posthabitis, brevi repræsentaminum notitia contenti sunt. Scilicet.

*Sunt hodie Libri ut muliebria corpora, quæ dum
Conclavi neglecta suo, atque inculta morantur,
Macra videbuntur, brevibusque simillima Sardis.
Fac tectis prodire eadem spectanda per urbem;*

Non

*Non eadem forma est : Nam cum peronibus altis
 Incubuerunt pedes ; quom tot redimicula frontem
 Aedificant , circum & vestis sinuosa tumescit.
 Prægnantem artifici defendens turbine ventrem :
 Protinus augetur species , majorque videri ,
 Atque alia : Ingentes una implet femina postes ,
 Angustatque viam , magnos imitata Elephantos ,
 Aut Orcam per aquas vasta se mole ferentem.
 Non quicquid Libro adgeritur , Liber est. Superabit
 - - haud Phædrum , nimia farragine demta ,
 Defectisque supervacuis. - - -*

3. Idem Chalcographus peritissimus post absolutum vastum illud Opus Picartianum , cujus jam maximum laborem feliciter profligavit , artem suam dedicavit memoriæ illustrium omnis ordinis de Patria vel pace vel bello , ut & de Ecclesia ac re litteraria præclare meritorum Virorum , quos Helvetica tellus magno numero aluit atque educavit : Quorum vitam atque fata succincte recenset Vir Clariss. ac pl. Reverendus AUG. JOANNES BUXTORFIUS , V. D. M. Basileens. atque Pastor Templi , quod de S. Theodoro appellatur. Hujus laudabilis instituti dederunt nuperrime specimen oppido præclarum sub hoc titulo , Germanorum more satis loquaci : **Schweizerischer Ehren-Tempel , in welchem die wahren Bildnisse theils verstorbenen , theils annoch lebender berühmter Männer , geistlichen und weltlichen Standes , sowohl aus den XIII als zugewandten Orten L. Eudsge-nossenschaft , welche sich durch die Staats-Klugheit , durch Gesandtschaften , tapfere Thaten , gelehrte Schriften , nützliche Künste , und andere Verdienste gegen das Vaterland hervorgethan , oder**
 Tom. III. I durch

durch sonderbare und seltene Schicksale merkwürdig gemacht haben, in netten und nach den besten Urbildnissen, oder nach getreuen Zeichnungen verfertigten Kupferstichen, samt kurzen und von verschiedenen gelehrten Männern aus bewährten Nachrichten gezogenen Lebens-Beschreibungen vorgestellt werden durch David Herrliberger, Kupferstecher und Kunstverleger in Zürich. Basel 1748. 4to pl. 1½. Tab. æn. IV. quæ repræsentant J. HENR. HOTTINGERI, S. Th. D. & Prof. Tigurini: J. LUDOVICI de ERLACH, Bernat. R. M. Gall. Locumtenentis Generalis &c. Domini de Castelen: J. LUDOVICI PFEYFER, Eq. & Sculteti Reip. Lucern. Regis Gall. Colonelli, Domini de Altishofen: & JOANNIS HOLBEIN, Pictoris Basileensis, imagines eleganter & ad vivum expressas.

4. Hic litteris Contr. Orellii & Socc. exscriptus est J. HENR. HOTTINGERI, S. Th. D. & Prof. in Academ. Heidelberg. ex parte Reformatorum primarii, Typus Vitæ Christianæ delineans Theologiam Morum generalem, de Resipiscentia ac Fide viva, Aphorismis cum subjuncta explicatione comprehensus: Curis posterioribus mutatus, auctus & faciliori Methodo dispositus. Turici 1748. 8vo pl. 26. Novæ hujus Libelli editioni præmissit Autor Clarissimus præfationis loco tractationem de Usu Legis divinæ Moralis etiam sub N. T. atque pluribus argumentis evincit adversus Antinomos theoreticos & practicos, maximum ejus usum esse ad resipiscendum, vive credendum, pie vivendum, obediendum, in Judicio divino consistendum, adeo ut absque hoc Legum usu nulla vera Resipiscentia, Fides, studium Pietatis, Obedien-

dientia , nulla spes consistendi in ultimo Judicio sit , & per consequens nulla Salutis spes : Simul etiam occurrit atque satisfacere studet iis , qui verentur , ne hoc Assertum Gratiaë divinæ detrahat aut Pelagianismo favere videatur : Dantur utriusque duo extrema sedulo vitanda.

5. Heideggerianum proelium nobis procuravit : De Consilio de emendanda Ecclesia jussu Pauli III. Pontif. Rom. conscripto , sed ab eodem neglecto ac executioni non mandato , ad Eminentiss. & Reverendiss. ANGELUM MARIAM Card. QUIRINUM , Vaticanæ Bibliothecarium Amplissimum ac Episcopum Brixiens. &c. &c. Epistolam JO. GEORG. SCHELHORNII : Accesserunt , præter ipsum de emendanda Ecclesia Consilium , mutuaë de illo JAC. Card. SADOLETI & JO. STURMII Epistolæ. Turici 1748. 4to. In hac Epistola id agit Clariss. Schelhornius , ut evincat , Consilium istud Pauli III in spongiam incubuisse , ac præcipuas illo comprehensas monitiones executioni datas non esse ab eodem Paulo III , cujus tamen jussu istud initum ac litteris consignatum erat , adeoque eundem suarum Legum & auctorem & subversorem , quod elogium Tacitus Cn. Pompeio tribuit , nuncupari merito posse. Producit autem in medium testes omni exceptione majores , illustres Rom. Sacris addictos Viros , qui magno convitio conquesti sunt gravissimos abusus curiam & ecclesiam Rom. deturpantes post illud Consilium a Paulo III initum nunquam esse sublato , sed potius indies majores acquisivisse vires & vel ipso Paulo III & qui præterea Consilii autores erant exemplo fuisse confirmatos. Digna in primis etiam repetita

lectione est *Job. Sturmii* ad Card. *Sadoletum* de hoc Consilio Epistola gravissima atque disertissima.

6. Non erit extra locum hic commemorare Eminentiss. Purpuratum Principem A. M. QUIRINUM &c. Brixia die XXV Jan. MDCCXLVIII dedisse Epistolam luculentam typis exscriptam ad V. C. JO. JACOBUM BREITINGERUM, Linguae Graecae apud Turicenses Professore. 4to pag. LX. Varii equidem illa argumenti est; praecipuum tamen quod etiam Virum Eminentissimum ad scribendam & publicandam hanc Epistolam impulit momentum cognoscere licebit ex Breitingeriano ad eam responso, quod ex communicatione amicissimi Viri ita habet: „ Quod vero TIBI „ Purpurato R. E. Principi Eminentissimo placuit „ publici juris facere eam superioris meae Epistolae partem, qua TIBI hoc officium requirenti, „ ad probandum meum obsequium, meos circa „ illam TUAM cum Cl. *Kieslingio*, Prof. Lips. „ Controversiam sensus negligentius oppido ac liberius, (quod perire inter nos credideram horribile istud arcanum) exposui; id ego quidem „ factum nollem, quanquam non valde repugnem „ meos de hac causa Sensus in publicum patere: „ quod si tamen ullo modo praecipere animo „ potuissem, id ita futurum, ego profecto majore cura ac diligentia in hanc causam incubuissem, quam nonnisi subito & fortuito sermone delibavi. Sed nunquam erat animus, & ne nunc quidem est, propter ullam Religionis Controversiam TECUM in Disputationem descendere, aut (ut TUIS verbis abutar) TUUM „ quo mire ferves Catholicarum partium tuendarum „ aestum

„ *estum provocare* : tum quia in Religionis negotio
 „ alter alteri , quod præfiscine dixerim , Hæreti-
 „ cus est , neque TIBI fas sit æquius de nobis sen-
 „ tire : tum vero quoniam tædet pigetque cram-
 „ bem vel centies coctam iterum recoquere ;
 „ quid enim quæso circa dogmata inter nos con-
 „ troversa dici potest , quod non dictum sit prius.
 „ Ut taceam , quod in iis disputationibus , in qui-
 „ bus de inquirenda & propugnanda veritate tan-
 „ tum agitur , nulla vel dignitatis vel auctoritatis
 „ habenda sit ratio , neque in censum veniat quis
 „ dicat , sed quid dicatur : ego vero nolim un-
 „ quam huc descendere , ubi necesse fuerit meam
 „ erga TE observantiam insuper habere , quam
 „ TIBI quoad vixero illibatam conservare , ita de
 „ me meritus es , decrevi. Sed quoniam TU ,
 „ AMPLISSIME PRÆSUL , in primis TUIS ad
 „ Heideggerum nostrum litteris ita jufferas , at-
 „ que etiam ea tantum lege TE TUAS adversus
 „ Cl. Kieslingium Vindicias ad nos transmitters
 „ significaveras , ut nostrum ad TE de hac Con-
 „ troversia , quatenus historica est , iudicium li-
 „ bere deferremus , non putavi me posse hoc of-
 „ ficiam , quod libenter declinassem , honeste
 „ TIBI recusare. Et profecto admodum mihi pro-
 „ clive foret ostendere , eas quas TIBI stricturis
 „ meis opponere placuit Animadversiones neuti-
 „ quam jugulum causæ premere atque etiam sub-
 „ inde dicta mea invidiosis consequentiis , quas
 „ ego non agnosco , onerari : Sed malo his pe-
 „ nitus supersedere , atque etiam quæ a TE in
 „ ZUINGLIUM & ceteros Majores nostros acer-
 „ bius interdum conjecta sunt , patienter devora-
 „ re & silentio vindicare. Quanquam er-

„ go in eadem epistola , quam mihi publice in-
 „ scribere voluisti , VIR EMINENTISS. ex sub-
 „ nata occasione TIBI visum fuerit recens Cl.
 „ *Kieslingii* Scriptum dedita opera sub examen re-
 „ vocare , atque TUIS stricturis configere , me-
 „ amque causam cum *Kieslingiana* tantum non
 „ commiscere , a me tamen non impetrabis , ut
 „ me huic vestrae concertationi immisceam , aut
 „ copias meas cum alterutro adversus alterum un-
 „ quam jungam , aut mihi deinceps in hac
 „ causa aliquod arbitrium sumam. Malo pulcre
 „ latere , quam hujus generis velitationibus in-
 „ clarescere. „

7. Die Vortrefflichkeit der wahren Kirchen N. T.
 benebst denen wesentlichen Kennzeichen und Pflich-
 ten aller rechtschaffener Glieder derselben , unter
 dem Bild einer erhabenen Berg- Stadt , die nicht
 verborgen seyn kan , nach Matth. C. V. 14. Bey
 Gelegenheit der neuerbauten Reform. Kirche zu
 Osthofen in dem Churfürstl. Pfälzischen Ober-
 Amt Alzey , als An. 1747 den 1. Weinm. der
 erste Gottesdienst darinnen gehalten wurde , vorge-
 stellet von Abel Adam Hottinger / Pfr. daselbst
 und Inspector der Claf. An. 1748. in 4to pl. 6.
 Sacrum hunc Sermonem multa opera & non sine
 unctione elaboratum hic referendum esse censui,
 quia pl. Rever. Autor est J. H. HOTTINGERI,
 Theologi Heidelberg. Filius , atque civis Turicensis.

8. Huc accedunt Dissertationes Academicæ
 sequentes :

1.) Dissertatio Psychologica de Immortalitate
 Mentis humanæ , quam sub Præsidio Viri Specta-
 tiss.

tiff. DAVIDIS LAVATERI, Philos. Prof. Ord.
pro consequendo Examine Philos. defenderunt V.
Cand. S. M. Tiguri. 1747. pl. 2.

2.) Differtatio theologica de Vocatione Christi
ad Sacerdotium in Epist. ad Hebr. V. 4, 5, 6.
quam placidæ Disquisitioni subjecit Vir Celeberr.
J. JACOBUS LAVATERUS, S. Theol. Prof.
Resp. Henr. Eschero, V. D. M. *Assumente* Henr.
Zieglero, S. Th. Stud. Postrid. Synod. vernalis.
Tiguri. 1748. in 4to pl. 3.

3.) Meditationis de causis magis magisque in-
valescentis Incredulitatis & medela huic malo ad-
hibenda Pars X. quam Præside Viro Clariss. J. JA-
COBO ZIMMERMANNO, S. Th. Prof. Reg.
Boruff. Soc. Scient. Membro defendebant III. Cand.
S. M. Tiguri. 1748. Etiam hac Differtatione va-
riæ incredulorum objectiones atque subterfugia
graviter diluuntur ac obstruuntur.

4.) Differtatio physico - medico - mathematica
de TERMINO VITÆ, quam Præside V. Cl. JO.
GESNERO, Soc. Imp. N. C. Collega & Acad. Scient.
Suecic. membro, pro consequendo Examine philo-
sophico defendebant tres S. M. Candidati: ad
d . . . Martii. 1748. 4to. Subjungitur Scala pe-
riodi humanæ Vitæ exhibens numerum viventium
& morientium cum exspectatione Vitæ, in sin-
gulis ætatibus.

9. Klarer Beweis, daß das Büchelgen, be-
tittelt: Joh. Georg Sulzers Versuch von der
Ausferziehung der Kinder einfältig widerlegt: Kei-

ne Satyre sen. Auf vielfältiges Begehren zum
Druck überlassen von Kunderlieb / Mag. Zürich.
Bey Contr. Dress und Comp. 1748. 8vo pl. 4½.

- - - *Sunt certa piacula , quæ te
Ter pure lecto poterunt recreare libello.*

HORAT.

BERNA. Prodiit tandem post longiorem mo-
ram Tomus III *Tentaminis Theologiæ dogmaticæ , me-
thodo scientifica pertractatæ*, quo Clariss. Theol. Prof.
DANIEL WITTENBACH operi desideratissimo
colophonem imposuit. Adjecti sunt in calce hu-
jus Libri Indices Locorum S. Scripturæ , Auto-
rum ac Rerum copiosissimi a Viro pl. Reveren-
do *Isaaco Sigfrid* mira arte ac diligentia instructi, in
omnes tres hujus Systematis Tomos. Accedunt
præterea auctarii loco , *Theses Theologiæ præcipua
Christianæ Doctrinæ Capita ex primis principiis deducta
continentes*, quas pro consequendo S. Ministerii ho-
nore sub præsidio Celebrissimi quondam *Ringierii*
publice defenderunt *IS. SIGFRID & DAN. WYT-
TENBACH*, Autores an. 1732. Atque etiam
*Prælectio inauguralis de iis quæ observanda sunt circa
Theologiam & Dogmaticam & Elencticam docendam*,
qua Clariss. *Wytttenbachius* ad d . XIV. Novembr.
1746. Professionem Theol. Elencht. auspiciatus est.
Exhibentur autem tertio hoc Tomo reliqua , quæ
ad statum Gratia pertinent Capita , scil. Loc. X.
de Sacramentis , quæ ob signationem externam Bo-
norum F. G. efficiunt : Loc. XI. de Ecclesia , seu
Personis quæ de Bonis illis Fœderis participant ,
quatenus nimirum junctim tanquam Civitas aut
Societas aliqua Sacra considerantur , cujus varia
inde

inde a mundo condito per diversas ætates , conditio ac fata percensentur : Denique Loc. XII. de statu hominis post hanc vitam sive felicissimo sive miserrimo , qui ut promissum & comminatio F. G. spectari potest , una cum iis quæ connexa sunt Morte , Resurrectione , Judicio. Tota vero isthæc Tractatio abundat magna rerum & quæstionum , observationum etiam historicarum , philologicarum & criticarum copia : inprimis vero Loc. XI. de Ecclesia , qui alteram fere Libri partem absolvit , ingentem uberrimamque rerum segetem complectitur : Invenias hic eruditas disputationes de Notis veræ Ecclesiæ , de Articulis fundamentalibus , de Hæresi & Hostibus Ecclesiæ : de prima Salutis Promissione , de propagatione ejus per apparitiones , traditiones & artem scribendi : de die peculiari Cultui publico præ ceteris dedicato , de origine sacrificiorum , de Circumcisione , de Serpentis Semine & idololatria : de Diluvio universali ac Ecclesiæ *παλιγγενεσία* , de genuina Ecclesiæ Judaicæ sub Templo secundo Doctrina ex Libro *Sohar* & *Paraphrasibus Chaldaicis* : de Lege rituali adversus *Spencerum* : cum singularium rituum rationibus seu finibus proximis ; de legibus forensibus tanquam munimento ceterarum Legum : de Theocratia Israelitica : de Scholis Prophetarum : de Legibus positivis : de Fœderis seu Testamenti antiqui ratione : de origine Paschatis : de Typis : de novæ Oeconomix prærogativis : de principiis Jurisprudentiæ Eccles. universalis , &c. In Loco vero XII. de Statu Gloriæ præter ceteras distincte evolvuntur atque explicantur Quæstiones de Morte fidelium , de Judicio particulari post mortem , de spe resurrectionis & quidem ejusdem corporis ,

de fine mundi , de Telluris interitu , de adventu
 Judicis , de Millenio , de loco Interni , &c. Et
 quanquam Clariff. *Wittenbachius* non diffiteatur ,
 sed diferte laudet , quibus in his argumentis ex-
 plicandis profecerit Autoribus , quos inter facile
 primas tenent *Sherlook* , *Schætgenius* , *Schukford* ,
Clericus , *Moshemius* , *Spencerus* , *Pfaffius* , *Pflug* ,
Burnet , *Whiston* , *Elsnerus* , *Ewaldus* , *Lampius* &c.
 novam tamen lucem universæ tractationi proprio
 suo judicio & accurata demonstrandi methodo at-
 tulit : Maxime vero gravissimum illud de Sacra-
 mentis N. T. argumentum Loco X. distinctius &
 explicatius multo , quam hactenus factum est ex-
 posuit : Quid Vir Clarissimus jure merito hac in
 parte desideraverit , ipse in luculenta Præfatione
 huic Tomo præmissa , hunc ad modum explicat :

„ In hac materia multum confusionis ac defectus
 „ reperiri in libris theologis & qui Religionem
 „ exhibent , ne novissimis quidem prorsus exce-
 „ ptis , sine temeritatis nota asseri potest : Non
 „ solum enim Sacramentorum origo , id est ra-
 „ tio , quare sint ac esse debeant , non prorsus
 „ recte exhibetur , sed & vel maxime eorum na-
 „ tura , requisita , genuina notio. Origo eorum
 „ aut aliquando nulla talis ponitur , aut historica
 „ pro origine ab intrinseca rei ratione desumta
 „ ponitur , aut mox a vocabulo *Sacramenti* inci-
 „ pitur : cum e contra terminus Sacramenti præ-
 „ requirat alia noscenda ; & semper materia se-
 „ quens cum priori sit naturaliter connectenda ,
 „ seu ostendendum , quomodo ex ea sequatur.
 „ - - Mox properatur ad Sacramenti definitionem
 „ accumulata , ut ita dicam ; ubi sc. accumu-
 „ lantur ea , quæ tum nec omnia requiruntur ,
 „ ut

„ ut Sacramentum a reliquis rebus , quæ in Re-
 „ ligione occurrunt , dignoscatur , nec etiam ad-
 „ hucdum ab ipsis probantur vel legitime dedu-
 „ cuntur : Mox in *Definitione Sacramenti ingeritur*
 „ *nomen SIGILLI , OBSIGNATIONIS , CONFIR-*
 „ *MATIONIS , quæ tamen ad notionem Sacramenti*
 „ *per se non requiruntur , cum nonnisi fideles respiciant ,*
 „ tum ibidem legitimo ordine nondum evoluta
 „ sunt. Hæc eo minus approbanda , ubi pror-
 „ sus non probatur , quod & quomodo Sacra-
 „ menta sint ac fiant Sigilla , quandonam confir-
 „ ment &c. verum nonnisi juxta morem receptum
 „ hæc ita dicuntur , ac sine peruestigatione ulte-
 „ riori ponuntur ; nec etiam attenditur , num
 „ & quodnam altero prius sit concipiendum , ex
 „ altero deduci debeat ac possit , consequenter
 „ quidnam mediate , aut vero immediate sint ac
 „ dici debeant Sacramenta. . . Porro & in
 „ hoc peccatur , quod utrique Sacramento ea-
 „ dem adaptetur Definitio ; id locum non habet ,
 „ nisi ubi de Sacramentis adhuc in genere , non-
 „ dum indicato Baptismo aut S. Cœna. &c. agitur
 „ An non Sacramentum S. Cœnæ planissime ex-
 „ hibetur , ubi essentia ejus , notio originaria po-
 „ nitur , *quod in ea Causæ meritoria beneficiorum F.*
 „ *G. id est , Mortis Christi , memores simus ; unde*
 „ & reliqua deduci possunt ? *Vel an solidius termini*
 „ *SIGILLI , Communionis cum Christo , Nutritionis*
 „ *per Corpus ac Sanguinem ipsius ingeruntur ? Quo-*
 „ rum primum & secundum nonnisi justis prius
 „ positis fundamentis potest firmari ; tertium vero
 „ est improprie loqui contra regulas Definitio-
 „ num &c. Et tamen , qui etiam accuratiori or-
 „ dine scribere profitentur , *Obsignandi vim Defi-*
 „ nitio-

nitioni Sacramenti utriusque induunt, nec explicant & probant, quomodo & quod Sacramenta SIGILLA fiant. Hæc prolixius hic afferenda esse duxi, ut retundatur quorundam pinguis ingenii & obesæ naris hominum pervicacia, qui ubi quis receptarum vocum ac formularum potestatem distinctius ac magis determinate quam vulgo fieri solet, explicare instituit, protinus avitæ Religionis causam prodi ac temerari insolenter clamitant: Et quum recentis exempli sit hæc injuria in ipso de S. C. argumento, juvabit nonnullas Cl. Viri in hanc rem Theses ex Loco X. huc transcribere, ut cognoscant, quis verborum & formularum, quibus promiscue omnes utuntur, sit verus Sensus: §. 1239. *Sacramenta SIGNA equidem sunt omnibus, qui iis utuntur, SIGILLA vero, quæ participationem de beneficiis Christi confirmant, nonnisi fidelibus, seu talibus, qui F. G. conditiones implent. §. 1243. Sacramenta nonnisi externam obsignationem efficiunt, quia sunt Signa externa ac Sigilla. §. 1244. Sacramenta ideo fidem jam antea præsentem corroborant; at eam, ubi nondum adsit, neutiquam operari possunt. §. 1245. Gratiam hinc homini conferre non possunt. §. 1246. Sacramenta ideo a Sp. S. perinde ac Verbum efficacia reddi debent. §. 1247. Propterea externus eorum usus in se est inefficax. §. 1249. Tandem, quia Sacramenta homini gratiam conferre non possunt, ad Salutem necessaria non sunt: Interim quia sunt institutionis divinæ, omissio eorum petulans ac contemptus Salute excludit. Ceterum facere non possum, quominus Clariss. Wyttenbachii in ferendo de dissentientibus iudicio æquitatem animi commendem, cujus hæc ex multis possunt esse documenta: scil.*

§. 1391.

§. 1391. in Schol. pag. 1250. hæc leguntur : Id interea de SPENCERI opere dici potest , quod , etsi in genere hypotheses , quas in eo propugnavit , admitti non possint ; tamen non solum reconditæ eruditionis e Litteratura præsertim profana plenum esse , verum & plurimis S. Scripturæ locis lucem affundere , uti quoque Institutis seculi Mosaici ac posterioribus : ut Auctor male haberi non debeat , quod viam typicam universaliter tunc calcatam in illam a rationibus historicis petitam refuderit ; cum & præter alia Atheis , Naturalistis ac Antiscripturariis obviam ire voluerit. Alterum documentum extat pag. 1133. Lutheri discipuli ideo nobis orthodoxi debent esse ac sunt , dum in Fundamentalibus omnibus prorsus consentiunt , dissensu non nisi quoad parum momentosa , eaque adhuc pauca , intercedente : reliqua enim non sunt nisi apertæ logomachiae : Unde jure nobis FRATRES dicuntur. Quid ergo impedit , quominus in oscula fraterna animitus ruamus ; per Tolerantiæ politicæ ubivis introductionem non solum , verum ut & animositates , altercationes , magis invidiosas imputationes , multo magis invidiosas denominationes & maxime convitia longe facessere jubeamus ? ut dissidium , pacis amantibus & piis omnibus deplorandum , non amplius communi Protestantium causæ adeo sit funestum. Verum Dei id opus est omnipotentis ; faxit T. O. M. ut tandem tempora hæc illucescant ! Hunc autem animum quoque ostendit in iis , quæ ad Clariss. SCHUBERTI *Commentationem philosophicam de Voluntate Dei* , sub ejus nomine Doctrinæ Ecclesiæ nostræ oppositam , atque Jenæ 1744 editam in addendis & emendan-

dis

dis huic Tomo subiectis ad §. 272. carptim monenda censuit ; neque vero prolixioribus vindiciis opus erat post Rever. CHR. EDMUNDI, Cand. Reg. Berolin. *Dissertationem apologeticam, qua Clar. Wytttenbachii Doctrina a nuperis Cl. Schuberti objectionibus defenditur*, quæ Parti I. Symbol. litterar. Bremens. inserta legitur. Ita Helvetia nostra hanc sibi laudem jure merito vindicat, quod prima integrum Theologiæ & dogmaticæ & polemicæ Systema methodo scientifica elaboratum publici juris fecerit.

2. Joh. Friedr. Stapfers, *Predigers des G. W. Grundlegung zur wahren Religion. IV Theil. Zürich. Bey Heidegger und Comp. 1748. 8vo Alph. 2.* Laudatissimi Operis, quod cupide diripitur, Tomus IV complectitur nonnisi duo Capita, nimirum Cap. XI. de divina Providentia, quod argumentum & gravissimum & difficillimum copiose satis explicatur, atque Dei Sanctitas & Justitia solide vindicatur : Et Cap. XII. De Creatione hominis & Immortalitate mentis humanæ, quæ XI argumentis confirmatur. Singulis Capitibus subjicitur luculenta demonstratio, quam vim habeant cognitæ hæ Veritates ad vitæ christianæ praxin.

3. Proxime Ampliff. Senatus Academici Decreto a triumviris Consultissimis edita sunt certatim Specimina publica pro vacante *Cathedra Juridica* in illustri Bernatum Academia rite consequenda, ordine quem fors dederat, sequente.

SIGIS.

I.

SIGISMUND LUDOVICUS LERBER,
Bernas.

Die 27. Maii MDCCXLVIII.

I. Materia Prælectionis matutinæ, horâ
nonâ habendæ, erit de

Fontibus Juris Patrii.

II. Materiam Disputationis pomeridianæ
à hora 1. cum dimidia habendæ, sup-
peditabunt sequentes

Quæstiones.

1. AN in Moralibus datur, sicut in Mathemà-
ticis, demonstratio certa?
2. Quodnam est primum Juris Naturæ princi-
pium?
3. Num omne falsiloquium est mendacium, Jure
naturæ vetitum?
4. An mare cadit sub dominium?
5. Quænam sunt justificæ belli causæ? & an huc
pertinet metus crescentis potentiæ vicini?
item denegatio transitus per territorium?
6. Quænam sunt Jura Legatorum? & quonam
ea nituntur fundamento?
7. Quomodo verba Leg. XII. Tabb. *de Sectione
debitorum* sunt intelligenda?
8. Quomodo concilianda est Leg. 3. §. 5. ff. *de
acquirend. vel amittend. possess. cum L. 3. pr. ff.
uti possidetis*?
9. An Transactio de relictis in Testamento est vali-
da; etiam Tabulis Testamenti non inspectis?
10. An venditor ad tradendam rem venditam præ-
cise obligatur, ita ut nec offerendo quod in-
terest liberari possit?

11. An

11. An Testamentum simplici declaratione voluntatis rumpitur?
12. An, & quænam actio datur, si bestia in alicujus dominio existens damnum dederit?
13. An legitimati succedunt in Feudis?
14. An pars læsa judicio doloso, actionem in solidum habet, contra quoscunque Judices in Tribunali sedentes?
15. An probandæ, vel excusandæ sunt Leges primorum Imperatorum Christianorum in Hæreticos latæ?
16. An prærogativa apud nos concedi solita, nititur Jure nostro statuario?

II.

CAROLUS EMANUEL ROSSELET

Bernas, J. U. D.

Die 29. Maii MDCCXLVIII.

I. Materia Prælectionis matutinæ, horâ nonâ habendæ, erit de,

Succeſſione ab intestato:

Secundum Jus Naturale, Civile & Statutarium.

II. Materiam Disputationis pomeridianæ à hora 1. cum dimidia habendæ, supeditabunt sequentes

Quæſtiones.

1. **Q**Uodnam est principium Moralitatis actionum humanarum?
2. An datur Jus Divinum positivum universale, & quomodo illud a Jure naturæ distinguitur?
3. Quæ.

3. Quænam Jure naturali Mariti præ Uxore est prærogativa?
4. An Polygamia Jure naturæ est vetita?
5. Num Jure Gentium ad justum bellum requiritur prævia denuntiatio?
6. An de Successione in regno controversa, aut Rex, qui nunc regnat, aut Populus judicare potest?
7. Quænam Jure antiquo fuit differentia inter *res mancipi*, & *nec mancipi*?
8. Quomodo concilianda est Lex 28. ff. de *Jure Fisci*, cum L. 21. ff. pr. *qui potiores in pignore, vel hypoth.*?
9. An Præscriptio in Jure naturæ fundatur?
10. An filius famil. testari potest de peculio adventitio pleno?
11. Quarta Divi Pii, an est quarta portionis ab intestato debitæ? an omnium omnino bonorum?
12. An mulier renunciare potest SCto. Vellejano?
13. An aliquis in Terris Protestantium Juris Canonici est usus?
14. Num Tortura est legitimum veri detegendi medium? numque ea recte adhibetur?
15. Num Judex secundum acta, & probata; num potius secundum certam facti scientiam pronuntiare tenetur?
16. An distinctio inter Tutelam & Curatelam apud nos est recepta? an recipienda?

III.

BEAT. PHILIPP VICAT, J. U. D. &
Professor in Acad. Laufann. P. O.

Die 31. Maii MDCCXLVIII.

Tom. III.

K

I. Ma.

I. Materia Prælectionis matutinæ, horâ nonâ habendæ, erit de
 Successione Testamentaria:
 Secundum Jus Naturale, Civile &
 Statutarium.

II. Materiam Disputationis pomeridianæ à hora 1. cum dimidia habendæ, sup-
 peditabunt sequentes

Quæstiones.

1. AN Jus naturale est Lex proprie sic dicta, sanctione pœnali munita?
2. An datur Jus Gentium, Juri naturali contra distinctum? & quodnam ejus est fundamentum?
3. Num Lex Mosaica de Leviratu Deutr. XXV. 5. Legi naturali congruit?
4. Quænam sunt justæ divortii causæ?
5. Quænam in regnis successio est præferenda, electiva, an hereditaria? & in hac, Linealissime, an ceteræ species?
6. An dominia rerum habent solidum fundamentum in Jure naturæ? & quodnam illud est?
7. Quodnam est Jus Quiritium? an, & quomodo a Jure Civitatis Romanæ distinctum?
8. Quomodo L. 48. ff. de Condit. & Demonstrat. cum L. 74. §. 1. ff. ad SCtum Trebellian. est concilianda?
9. An præscriptio in rebus omnibus locum habet?
10. An Edictum successorium locum habet in querela inofficiosa?
11. Quid significant incerta nomina in SCto Macedoniano?

12. An dos profectitia , mortua filia ad patrem revertitur, etiam quando ex matrimonio liberi extant?
13. Quodnam est fundamentum, quænam requisita, & quæ vis Juris consuetudinarii? item, quomodo probatur?
14. Quodnam est Crimen Simonix? & quinam eo tenentur?
15. An Jus formularium Romanorum æquitati melius convenit, quam hodierna in foro causas orandi licentia?
16. Deficiente Jure Statutario, quodnam potissimum Jus subsidiarium sequi tenetur Judex noster?

LAUSANNA. Societas Libraria, quæ sub *Bousqueti* nomine maxime inclaruit, publico exposuit Librum, qui & universæ Helvetiæ gloriam, & Autoris nomen, & librariæ e qua prodit officinæ splendorem magnopere possit illustrare, quem hoc insignitum titulo dedit: *Memoires critiques, pour servir d'Eclaircissements sur divers points de l'Histoire ancienne de la SUISSE, & sur les Monuments d'Antiquité qui la concernent; avec une nouvelle Carte de la Suisse ancienne.* Par Mr. LOYS de BOCHAT, Lieutenant Ballival de Lausanne. Tome I. à Lausanne. 1747. in 4to pl. 48. Vir spectatissimus LUDOVICUS DE BOCHAT, Professor quondam apud Lausannenses, nunc vero Proprætor Lausannensis, quum animadverteret quæ de originibus gentis Helveticæ traduntur, a Scriptoribus rerum Helveticarum maximam partem aut manifestis & ineptis corrupta esse fabulis, aut ita leviter attingi, ut rei adeo obscuræ parum lucis

inde accedere possit ; ipse hoc argumentum hactenus fere neglectum & infinitis prope difficultatibus circumseptum dedita opera inquirendum sibi sumsit ; facile enim animo prævidebat , si docta cura & sagacitas accederet , desperandum non esse , quominus nonnulla de conditione antiquæ gentis , de locorum situ , de priscorum Helvetiorum Religione , de Reip. forma sub dominatu Romanorum &c. ex Scriptorum veterum testimoniis ac ruinis Helvetiæ antiquis erui ac investigari possint , quæ superiorum temporum negligentiam & incuriam subterfugerunt. Et profecto nemo poterit hos Commentarios vel fugitivo oculo inspicere , qui non Clarissimi de BOCHAT in argumento adeo sterili & inculto stupendam ingenii fecunditatem , in examinandis prisca ævi monumentis perspicaciam , ac in deducendis ex his principiis conclusionibus maxima probabilitatis specie se commendantibus , ἀρχαιοτάτων , admirari debeat. Complectitur autem iste Commentarius magna Eruditionis copia refertus hujusmodi fere Disquisitiones : I.) Sur la Question : *De quelle Nation étoient les HELVETIENS , qui s'établirent dans le Pays appelé aujourd'hui la SUISSE ?* a pag. 1 - 60. II.) *Preuves particulieres que les plus anciens Peuples de l'Helvetie , dont l'Histoire ou les Monumens font mention , étoient des Colonies de Gaulois ; & que c'est à ces Gaulois , que la plupart des Villes & des Bourgs de l'Helvetie devoient leur Fondation , ou du moins leur Nom , aussi bien que les Rivieres ceux qu'elles portent encore.* à pag. 61 - 216. III.) *Sur les PAGI , ou CANTONS des HELVETIENS : Ubi hæ Quæstiones sigillatim dilucidantur : α.) Qu'étoit ce qu'un PAGUS de l'Helvétie ? β.) Le nombre des Cantons des*

des Helvètiens a - t - il toujours été le même , depuis leur formation , jusques à l'époque de la réduction de l'Helvetie en Province Romaine ? ɳ.) Jusques a quelle Epoque l'Helvétie fut - elle partagée en quatre Pagi ? a pag. 217 - 292. IV.) Des quatre CANTONS, ou CITE'S du VALLAIS, a pag. 293 - 316. V.) Les HELVETIENS Sujets & Alliés de l'Empire Romain. a pag. 317 - 569. ubi distincte enarratur , quis fuerit Helvetiorum status & conditio inde a bello CÆSARIS usque ad VITELLII imperium : atque deinceps a VITELLII imperio usque ad tempus quo Romanorum in Helvetia dominatus penitus exspiravit. VI.) Sur l'entreprise des HELVETIENS , qui donna lieu a CÆSAR de leur faire la guerre. a pag. 570 - 588. Quid de continuatione Operis splendidissimi sperandum sit , ex Celebrissimi ac Spectatiff. Viri LUD. de BOCHAT ad Prof. *Breitingerum* Litteris ad d. 13. April. scriptis accipite : „ Je me flatois de pouvoir vous presen- „ ter a cette heure le second Volume de mes Me- „ moires. Le Libraire l'a annoncé il y a quel- „ ques mois , pour ce tems ci. Mais le Graveur „ de la Carte a tout arrêté d'un coté ; de l'autre, „ j'ai trouvé la moisson pour cette Carte beau- „ coup plus abondante que je ne le pensois quand „ j'en conçus l'idée. Au lieu de trois a quatre „ cens noms des Lieux , de Montagnes ou des „ Rivieres & Ruiffeaux , que je presumois qui en „ seroient le *non plus ultra* , à mesure que j'ai „ avancé dans la langue Celtique , j'ai vû grossir „ ce nombre ; en sorte qu'il approche bien du „ millier , s'il ne le passe point : Et quantité de „ ces Noms ont produit d'assés longs Articles , „ pour en constater la genealogie ; quoique j'aye

„ laissé a quartier ceux dont l'Etymologie auroit
 „ paru trop éloignée aux lecteurs peu versés dans
 „ ce genre d'étude. Je n'ai admis que les Noms,
 „ qui n'ont souffert presque aucun changement
 „ dans les lettres. Quelque amusant qu'ait été
 „ pour moi cet ouvrage a certains égards; il m'a
 „ couté une peine, a la quelle je ne me ferois
 „ probablement pas condamné, si j'en avois con-
 „ çu la longue fatigue, fort augmentée par l'im-
 „ perfection des Cartes. Je suis au bout, graces
 „ a Dieu, de ce travail qui tiendra plus dela moi-
 „ tie du Volume: ce qui m'obligera a reserver
 „ pour un Troisième diverses pièces faites pour
 „ le Second, auquel je m'étois proposé de me
 „ borner, pour le coup. Il paroitra environ le
 „ mois de Septembre prochain; & sera suivi de
 „ près du Troisième, tout composé à l'exception
 „ d'une couple de Memoires, dont les materiaux
 „ sont prêts. „

BASILEA. Heic in publicam lucem prodie-
 runt: I. Dissertatio inauguralis mechanico-medi-
 ca de VI CORDIS, quam in Universitate Pa-
 tria pro summis in Medicina honoribus rite obti-
 nendis ad d. V. Martii MDCCXLVIII publico
 Examine submittit DANIEL PASSAVANT, Acad.
 Reg. Scient. & Eleg. Litter. &c. Berolin. Membr.
 Basileensis. Basileæ. 1748. 4to pl. 2. c. f. æri inci-
 sa. Gratus profitetur Autor Clariss. si quæ de hoc
 argumento, in quo tantopere dissident Viri Ce-
 leberrimi, in medium protulerit, quæ nova aut
 a vero minus abludentia videri possint, ea ac-
 cepta ferenda esse Summo Viro DAN. BERNOUL-
 LIO, qui in hac re ipsi præluxerit.

2. Dissertatio inauguralis medica de Cardialgia spasmodica cum Ictero alternante, quam in Univ. patria pro summis in medicina honoribus legitime capeffendis ad d. XIV Maii an. 1748. publico Examini submittit J. RODOLPHUS STUPANVS, Basileens. Phil. Doct. Basil. 1748. 4to pl. 3. Clariff. hujus Dissertationis Autor hoc specimine probatum dedit, quantopere Græcorum Medicorum consulta, si minus negligenterentur, rem medicam in casibus maxime dubiis juvare possint.

3. Dissertatio inauguralis physico-medica de Aestimatione morborum ex Facie, quam in illustri Univ. Basil. pro summis in Medicina honoribus capeffendis publico examini proponit STEPHANUS HATHVANI, V. D. M. Nob. Hungarus. ad d. IX Apr. 1748. Basileæ. 4to. Digna videntur, quibus hanc Dissertationem suam concludit nobiliff. Autor, verba, quæ hic adjiciantur: „ Nos curationem morborum Praxi refer-
 „ vabimus, quomodo autem eam præstabimus,
 „ Dies & Deus docebit. Enimvero in Disserta-
 „ tionibus Academicis omnes ad unum fere mor-
 „ bi curantur, qui in lecto facile perimunt. Qua-
 „ re si Medicus morbos recte internoscere & cu-
 „ rare vult, oculos apertos habeat oportet. Fa-
 „ cies nempe est speculum, ut ostendimus, in
 „ quo morbos internos spectamus. Nihil miran-
 „ dum igitur, si ars hæc Catoptrica, artis im-
 „ peritos, in judicio de morbis fallat. „

4. Versuch einer Beschreibung historischer und natürlicher Merkwürdigkeiten der Landschaft Bas-
 sel. I. Stük. Basel. Bey Emanuel Thurneisen.

1748. pl. 7. cum III. Tab. æri incis. Primum hoc periculum historicum versatur circa descriptionem vici nobilissimi *Muttenz* Præfecturæ *Mænchenstein*, a qua enarrationem suam auspicari voluit doctissimus Autor, qui in Epistola dedicatoria ad Societatem Teutonic. Basil. cui & ipse adscriptus est, confitetur se notitiam de herbis & plantis, item de petrefactis hujus loci domesticis maximam partem Amicis debere.

SCHAPHUSIUM. Dissertatio inauguralis medica de Phrenitide, quam Præside Magnif. Illustri Viro ALB. HALLERO, *Phil. Med. Doct. Botan. Anat. Chirurg. P. P. O. Consil. Aulic. Archiat. Reg. Supremi Senatus Reip. Bernens. Ducentumvir. Soc. Angl. & Suec. Sod.* defendit Auctor JO. HENR. OSCHWALD, *Scaphusa Helvet. Gottingæ. 1747. 4to.*

2. Viro Nobiliff. JO. HENR. OSCHWALDO, *Scaphusa-Helveto* summos in Medicina Honores gratulatus quædam de ortu Bilis cysticæ & ejus ad vesiculam felleam itinere differit DAVID CHRISTOPHORUS SCHOBINGER, *S. Gallo Helvet. Medicinæ Cultor. Gottingæ. 1747.*

3. Huc quoque referri debet: De Pulsu febrili commentatus Dissertationem Prænobiliff. J. H. OSCHWALDI inauguralem indicit. JO. GOTHOFR. BRENDLIUS, *Phil. & Med. D. hujusque P. P. O. Decanus Ord. Med. Gottingæ. 1747.*

4. ALBERTI HALLER, *M. Phil. D. Consil. Aul. & Archiatr. Reg. & Elect. Med. Anat. Chir. Botan. P. P. O. Socc. Regg. Brittan. & Upsal. & Acad. Scient.*

Scient. Suec. Sod. in supremo Senatu Reip. Bernensis Ducentum Viri primæ Lineæ Physiologiæ in usum Prælectionum Academicarum. Gottingæ. 1747. 8vo pl. 60. Quæ in hoc Libello comprehendantur, his verbis indicat Illustr. Autor in Præfatione: Quæ vel a BOERHAVIO proposita gratus repeto, vel intra hos viginti annos magni invenerunt Viri, MORGAGNUS, WINSLOWUS, ALBINUS, DOUGLASSIUS, alique in publica commoda nati homines: quæ passim ex diversissimorum scriptorum multiplici thesauro, quæ ex nostris dissectionibus boni in Physiologiam collata sunt, ea visum est, uno sermone, uno ordine, in libellum conjicere, qui nostros labores levaret.

SANCT-GALLUM. Tergeminum Liliun in areolis QUIRINI seu oratio pro exceptione Eminentiss. ac Reverendiss. Dom. Dom. ANGELI MARIÆ Tit. S. Præcedis Cardinalis QUIRINI, Brixienfis Episcopi, Ducis, Marchionis, Comitis &c. S. R. E. BIBLIOTHECARIJ, Dicta in Conventu S. Galli An. MDCCXXXVII. die 26. Septembris abs P. Basilio Balthasar, Capis. S. Galli ac Archivista ejusdem Monasterii. Additis tribus Oratiunculis, hebraica, græca & latina, quibus altesatus Eminentiss. in Basilica S. Galli exceptus est. Typis Principalis Monasterii S. Galli.

Vel sola hæc inscriptio monasticum ingenium sapit, adeo verum est in orationem facile immigrare mores dicentis. Scil. Festive ingeniosum sibi esse videtur isthoc hominum genus in confingendis vafis & ludicris nominum allusionibus, minutis sensiculis & extra rem petitis: mire exultant in eo dicendi genere, quod aut puerilibus sententiis lascivit, aut immodico tumore turgescit, aut

inanibus jocos bacchatur, aut casuris, si leviter excutiantur, flosculis nitet: & quum laudes alicujus illustrare instituunt, paratum habent in scutis & insignibus gentilitiis laudandi argumentum, in quo mirificas argutiarum præstigias captant ac consecretantur: Ita fastidiunt illud *Quintiliani* præceptum: *Optima sunt minime accersita, & simplicibus atque ab ipsa veritate profectis similia.* Et rursus: *Nihil videatur fictum, nihil sollicitum: omnia potius a causa, quam ab oratore profecta credantur.* Quam longe ab hac sententia abludant cucullati Oratoris hæc verba, quæ orationi formam præscribunt, judicent alii: *Video in Scuto tuo gentilitio efflorescere trigeminum Liliam. Trigeminum Liliam, trigeminum orationis meæ argumentum est. Quia* fœcundum in ariditate: *primum hoc Liliam est, illustrissimamque Profapiam Tuam respicit, quæ in Te, quasi arido flore, innumero germine effloruit. Quia grande pusillum: alterum hoc Liliam est, Teque ipsum contemplatur, & grandem aliis, & Tibi pusillum. Quia aureum sine pretio: Tertium hoc Liliam est, tuasque Scientias, Operaque plane aurea, gratis in hanc lucem data, admiratur. Ignosce vero Eminentiss. Præsul, Princeps Clementissime, si pro tam sublimis dignitate argumenti minus digne dixerò. Veluti enim, quod quidam odore Liliæ capitis aguntur vertigine, non innocentis floris, sed capitis vitium est; ita si humili oratione tantam altitudinem assequi nequeo, non Liliæ Tui, sed balbutientis oratoris vitium erit. Quis non ex hac prolusione agnoscat Rev. P. Basilium Balthasar capitis vertigine actum hæc effudisse velut ægri somnia? Verum his missis erit operæ pretium nonnulla, quæ ad Vitam atque virtutes Purpurati Præsulis,*

lis , Eminentiff. QUIRINI pertinent , ex florida hac oratione excerpere.

ANGELUS MARIA QUIRINUS , Venetus , ex nobiliffima Patricia Familia oriundus a prima ætate mirifico elegantiorum , & facrarum inprimis Litterarum amore incensus vitæ monasticæ nomen dedit , & Florentiæ sanctæ conversationis habitum induit BENEDICTI familiæ adscriptus , quem proinde illustris *P. Montfalconius* jam pridem , ut præstantiffimum Benedictini Ordinis alumnium , encomiaften & propugnatorem , ut virum in omni disciplinarum & scientiarum genere versatiffimum , ut Scriptorem subtilem , elegantem & indefessum , ut amicum officiosiffimum collaudavit. Quum florente adhuc ætate Romæ verfaretur , in celeberrimam Collegii Rom. Bibliothecam totos dies frequentius se abdidit , ut eruditionis sitim aliquantum restingeret. Deinde vero quum Lutetiæ Parisiorum in nobiliffimo San - Germanensi Monasterio ageret , totum se ad sacratoris doctrinæ Oratores & veteris eruditionis ac Scientiarum magistros toto orbe celeberrimos applicuit : ibi ab *Ensebio Renodotii* , qui singulis Sabbatis aut majorum Festivitatum pervigiliis de orientali & Apostolica præsertim litteratura differebat , ore pependit : ibi pro summo animi in litteras ardore , cum *Jacobo Turellio* communes doctasque vigilias exercuit : ibi frequentes cum *Andrea Dacero* circa Græcarum litterarum peritiam collationes habuit : ibi singulis hebdomadibus cum *Joanne Boivinio* , regio Bibliothecario colloquia erudita per plures etiam horas produxit. Quantam ipse de se concitaverit expectationem constat ex illustri testimonio , quod illi adhuc Florentiæ agenti

Hen-

Henricus Newton, Britannicus ad Cosmum III. magnum Hetruriæ Ducem ablegatus in Epistola ad *Magliabecchium* dedit: *Nunc QUIRINUM* viventis Eruditionis, Pietatis & Comitatis Specimen, te Socio inter libros convenio, suspicioque, propriis aliquando sui que ingenii fœtibus augendos. Veniet ipse in numerum illustrium auctorum: Veniet dixeram? Quasi in *Mose* suo non etiam nunc legeretur, semperque legendus sit. Atque cum ob alias virtutes, tum vero maxime ob singularem Græcæ Linguæ peritiam ab Innocentio XIII. P. M. An. 1723 Archiepiscopus Corcyrensis creatus est, quo ministerio Corcyrenses græcos ita sibi devinxit, ut illum aliquando ad primarium S. Spiridionis templum publica solennique pompa deducerent, & quod nemini antea concessum fuit, in sublimiori throno collocarent, Græco Antistite exigua in sede confidente; ubi idem Archipræsul & Græcus orator Græcam Orationem panegyricam cum summa omnium voluptate & admiratione habuit. Post hæc a Benedicto Pâpa XIII ad Brixensem Sedem, omnium Italicarum, præter Mediolanensem, amplissimam translatus est: ubi pastoralis cura ejus hætenus tot documentis illustrata fuit, ut gravissimum isthoc a Clemente XII ob præclara sua facta testimonium meruerit: Nos certe, qui pastorales virtutes Tuas, quas ad salutem animarum vigilantia Tuæ creditarum, eximiis zeli & charitatis exemplis adhibes, insigni paternæ benignitatis studio prosequimur, ut uberiori illas cælestium charismatum copia remuneret, assidue cælorum Regem precibus obtestamur. Præcipua autem quædam ejus benefacta hæc sunt, quod Cathedralem Brixiaë Basilicam, hortante ipso Clemente Pontifice, e fundamentis excitatam & ad fastigium

fastigium usque perductam incredibili magnificentia adornavit; quod publicum Brixiae ærarium in commodum pauperum certis proventibus locupletavit; quod Salesiani amplae vallis-Cumanicæ Monasterii a se fundati Episcopatum suscepit, eique magis magisque stabiliendo omnes annonas, quas ex illa regione habet, unde Ducis titulo inscribitur, munificentissime assignavit; quod Sacras visitationes etiam per asperiores montanasque Diœcesis suæ partes arduo labore sudoreque obiit, etiam usque ad loca Prædecessoribus suis omnino inaccessa; ut nihil dicam de infinitis prope pastoralibus Litteris, quibus Diœcesanos suos in gravissimis causis erudivit. Deinde a Benedicto XIII, quum jam prius in Consistorio secreto designatus esset, in Sacrum Purpuratorum Collegium est adscriptus: Quodque ad perennem illustris familiæ splendorem pertinet, primus ex QUIRINA gente Romana Purpura refulsit. Inde a Papa Clemente XII. S. R. E. Bibliothecarius renunciatus est: Ejusdemque in Cathedra Successor Benedictus XIV, quotidianum servitium ejus, calamique ministerium appetere sese palam professus est, quod Eminentissimum QUIRINUM fere permoverat, ut Brixianas Insulas abdicaret, nisi Brixianæ lacrimæ a Superis amantissimum Pastorem exorassent. Postremo Protectoris Casinensium munus impetavit, & quidem circa hoc ipsum tempus, quo splendorem & opulentiam Patavini Episcopatus recusaverat. Neque vero inter tot tantasque curas, unquam illam de promovendis litterarum studiis cogitationem abjecit, qua de re Ipse prorsus acute ad Clementem XII ita perscribit: *Sacrarum Litterarum amor, qui summo Dei immortalis beneficio a teneris*

teneris mihi inditus annis, mecum postea adolevit, mihi-
 que per omnem ætatem ubique locorum ita fidus comes
 adhæsit, ut non tantum peregrinari, pernoctare &
 rusticari, quæ omnia nobiscum facere ex Tulliano dicto
 Litteræ assolent, sed & mecum, si ita fari liceat,
 Episcopari comperiatur. Et profecto, si quis præ-
 clara illa Volumina, quæ aut e propriæ eruditio-
 nis penu depromsit, aut sua cura perpolita in
 publicam lucem protrusit, quibusque Nomen
 suum immortalitati commendavit, perpendat,
 non poterit non sibi persuadere, Illum per totam
 vitam huic uni rei intentum nulli alii curæ vacare
 potuisse: Quorum argumenta, ut ab Oratore
 strictim & tumultuarie exhibentur, hujusmodi
 fere sunt: 1.) *Veterum Brixie Episcoporum opera.*
 2.) *S. Ephræm Syri Operum editio.* 3.) *Pauli II.*
gesta vindicata & illustrata. 4.) *Imago optimi*
sapientissimique Principis expressa in gestis Pauli III.
 5.) *Officia Ecclesiæ Græcæ.* 6.) *Enchiridion Græco-*
rum. 7.) *De Primordiis Corcyræ* 8.) *Animadver-*
siones in Euclidem. 9.) *De Brixiana Litteratura.*
 10.) *Oratio de Mosaicæ Historiæ præstantia.* 11.)
Gesta & Epistolæ Cardinalis POLI. 12.) *Franc.*
Barbari Epistolæ. 13.) *Quatuor Epistolarum lati-*
narum Decades ad Viros Sapientiæ ac Eruditionis
laude per Europam illustres. &c. &c. Et quis
 omnia Ejus Viri in litteras promovendas merita
 percenseret? Valet hic illud *Plinii: Cum jam pridem*
novitas adulatione consumpta sit, non alius erga TE
novus honor superest, quam si aliquando de Te tacere
audivimus.

GENEVA. Novissime heic ap. *Barillot* in lucem
 editum est novum de Electricitate Systema hoc
 titulo:

titulo : *Experiences sur l'Electricité , avec quelques Conjectures sur la cause de ses Effets : par Mr. JALLABERT, Professeur en Philos. experim. & en Mathématiques , des Sociétés Royales de Londres & de Montpellier , & de l'Académie de l'Institut de Bologne , à Geneve. 1748. 8vo pl. 20. cum Tab. æn.* Hoc Libello id maxime propositum erat Celeberr. Autori , ut præcipua Phænomena electrica accurata diligentia descripta ad certa genera revocaret , atque in suas classes dispesceret , quo facilius consequentiæ , quæ pronò alveo inde fluunt , derivari ac deduci possent : Et in prima quidem Libelli parte , quæ observationes & Experimenta complectitur , distincte agit Cap. I. De Electricitate & corporibus per se electricis : Cap. II. De Phænomenis Attractionis & Repulsionis. Cap. III. De luce , quam emittunt corpora per se electrica. Cap. IV. De luce corporum electricorum per communicationem. Cap. V. De communicanda corporibus Electricitate. Cap. VI. De corporibus , quæ materia electrica permeat. Cap. VII. Examen experimentorum circa Commotionem. Quibus subjungitur Diarium plurium experimentorum corpori hominis Paralyfi affecto applicatorum , quorum beneficio usus membrorum affectorum ipsi redditus est. In altera Parte exhibet nobis novam Electricitatis Theoriam , atque Phænomena in superiore parte exposita ex Systemate suo per causas explicat : De quo Systemate in Præfatione dedicatoria ad Celeberr. Abbatem NOLLET hunc in modum differit : *Je ne le donne qu'avec timidité , & comme de simples conjectures. Les faits ne me paroissent conduire qu'à l'idée d'un fluide subtil , agité*

*autour du corps électrisé, lequel attire vers ce corps
& en éloigne les corps légers. &c.*

2. Huc pertinent : Theses physicæ de Electri-
citate, quas sub præsidio JOAN. JALLABERT,
*Philos. Exper. & Matth. Prof. Socc. Regg. Lond. Mons-
pet. & Acad. Bonon. Socii*, tueri conabitur *Ludovi-
cus Necker*, Autor. Genev. 1747. 4to.

F I N I S.

